

**DOMINICA PASCHÆ
IN RESURRECTIONE DOMINI**

Ad Missam in die

Ant. ad introitum

Ps 138, 18. 5-6

Resurrexi, et adhuc tecum sum:
posuisti super me manum tuam:
mirabilis facta est scientia tua, allelúia.

Vel:

Lc 24, 34; cf. Ap 1, 6

Surrexit Dóminus vere, allelúia.
Ipsi glória et impérium per univérsa æternitátis sæcula.

Dicitur Glória in excelsis.

Collecta

Deus, qui hodiérna die, per Unigénitum tuum,
æternitátis nobis áditum, devícta morte, reserásti,
da nobis, quæsumus,
ut, qui resurrectionis dominicæ sollémnia cólimus,
per innovatióem tui Spíritus
in lúmine vitæ resurgámus.
Per Dóminum.

Lectio prima

*Manducavimus et bibimus cum illo
postquam resurrexit a mortuis.*

Lectio Actuum Apostolorum

10, 34 a. 37-43

In diébus illis:

Apériens Petrus os dixit: « Vos scitis, quod factum
est verbum per univérsum Iudæam incípiens a Galilæa

post baptísmum quod prædicávit Ioánnes, Iesum a Ná-
zareth, quómodo unxit eum Deus Spíritu Sancto et vir-
túte, qui pertransívit benefaciéndo et sanádo omnes
oppressos a diabolo, quóniam Deus erat cum illo.

Et nos testes sumus ómnium quæ fecit in regióne
Iudæórum et Ierúsalem, quem et occidérunt suspendétes
in ligno. Hunc Deus suscitávit tertia die et dedit eum
manifestum fieri, non omni pópulo, sed téstibus præor-
dinátis a Deo, nobis, qui manducávimus et bibimus cum
illo postquam resurrexit a mórtuis.

Et præcépit nobis prædicáre pópulo et testificári
quia ipse est qui constitútus est a Deo iudex vivórum
et mortuórum. Huic omnes Prophætæ testimónium pér-
hibent remissionem peccatórum accíperere per Nomen
eius omnes qui credunt in eum ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 117, 1-2. 16 ab-17. 22-23 (R.: 24)

R. Hæc dies quam fecit Dóminus;
exultémus et lætémur in ea.

vel Allelúia, allelúia, allelúia.

- ¹ Confitémini Dómino, quóniam bonus,
quóniam in sæculum misericórdia eius.
² Dicat nunc Israel, quóniam bonus,
quóniam in sæculum misericórdia eius. **R.**
¹⁶ Dextera Dómini fecit virtútem,
dextera Dómini exaltáta est.
¹⁷ Non móriar, sed vivam,
et narrábo ópera Dómini. **R.**
²² Lápídem quem reprobavérunt ædificátes,
hic factus est in caput ánguli;
²³ a Dómino factum est istud,
et est mirábile in óculis nostris. **R.**